

THOMAS MORVS ANGLIAE CANCELLARIUS
(QVOD GENVS OFFICII APVD ANGLOS SECUNDVM
A PRINCIP E LOCVM OBTINET) DECIMO SEXTO DIE MAI,
Anno Domini supra Millesimū quingentesimo trecesimo secundo, regni vero Regis Henrici octaui viceſi-
mo quarto, magistratu ſe abdicauit, ſequentiq; estate, hoc infraſcriptum epitaphium compoſuit,
& ſepulchro ſuo, quod ſibi dū in cancellariatu agebat, extruxerat in parochiali ſua Eccleſia
apud villam Chelſey, vbi habitabat, diſtantem baud amplius tribus miliaribus An-
glicis ab urbe Londinensi, inſcribendum curauit: poſtea vero eius
corpus baud illic, ſed in arce Londi-
nensi conditum eſt.

EPI T A P H I V M T H O M A E M O R I .

HOMAS Morus, urbe Londinensi, familia non cele-
bri, ſed honesta natus, in literis vtcunq; verſatus, quū &
cauſas aliquot annos iuuenis egiflet in foro, & in urbe
iuia pro Shyreno ius dixiflet, ab inuictissimo Rege Hen-
rico octauo (cui vni regum omnium gloria prius inaudi-
ta contigit, vt fidei defenſor, qualem & gladio ſe & ca-
lamo vere p̄aſtit, merito vocaretur) adſitus in aulam
eſt, delectuſque in consiliu, & creatus eques, proque-
ſtor primum, poſt cancellarius Lancastriæ, tandem Angliae miro Principis fa-
uore factus eſt. Sed interim in publico regni ſenatu lectoris eſt orator populi, pre-
terea legatus Regis nonnunquam fuit, alias alibi: poſtremo vero Cameraci, co-
mes & collega iunctus principi Legationis Cuthberto Tunſtallo, tum Londi-
nensi, mox Dunelmensi epifcopo: quo viro vix habet orbis hodie quicquā eru-
ditius, prudentius, melius. Ibi inter summos orbis Christiani monarchas rursus
refecta foedera, reditamq; mūdo diu desideratam pacem, & latiffimus vidit, &
legatus interfuit. *Quam superipacem firment faxintq; perennem.*

In hoc officiorum vel honorū curſu quū ita verſaretur, vt neq; Princeps op-
timus operā eius improbaret, neq; nobilibus eſſet inuiſus, neq; iniucundus po-
pulo furibus autē, homicidis, hereticisq; moleſtus: pater eius tādē Ioānes Morus
eques, & in eū iudicū ordinē à principe cooptatus, qui regius cōfessus vocatur,
homo ciuilis, innocens, mitis, miſericors, equus & integer, annis quidē grauis,
ſed corpore plus quā pro etate viuido, poſtquā eo productā ſibi vidit, vt filiū
videret Angliae Cancellariū, ſatis in terra iā ſe moratū ratus, libēs migravit in
celū. At filius defuncto patre, cui quādiu ſupererat cōparatus, & iuuenis voca-
ri cōſueuerat, & ipſe quoq; ſibi videbatur, amifum iā patrē requirēs, & editos
ex ſe liberos quatuor ac nepotes vndecim respiciēs, apud animū ſuū cōcepit per-
ſenſcere. Auxit hunc affectū animi ſubsequuta ſtatim velut adpetentis ſenij ſig-
nū, pectoris valetudo deterior. Itaq; mortaliū harū rerū ſatur, quā rē à puero pe-
nē ſemper optauerat, vt ultimos aliquot vitæ ſuā annos obtineret liberos, qui-
bus huius vitæ negotijs paulatim ſe subducēs, futuræ poſſet immortalitatē medi-
tari, eā rē tādē (ſi cęptis annuat De°) indulgetiſſimi p̄incipis incō parabili benefi-
cio resignatis honorib; impetravit: atq; hoc ſepulchrū ſibi, quod mortis eū nūq;
cellantis adrepere quotidie cōmoneſaceret, trāſlatiſ ſuā prioris vxoris ossibus,
extruēdū curauit. Quod ne ſuperiſtes fruſtra ſibi fecerit, néve ingruentē trepidus
mortē horreat, ſed deſiderio Christi libēs oppetat, mortēq; vt ſibi nō omnino
mortē, ſed ianuā vitæ ſeſcioris inueniat, precibus eū pijs lector optime spirā-
tem precor defunctumq; proſequere.

ALTERVM EPITAPHIVM,
AB EODEM HVIVS POSTEA
adiectū, licet antea cōscriptum.

Chara Thome iacet hic Iohāna vxorcula Mori.
Qui tumulū Alicia hūc destino, quiq; mihi.
Vna mihi dedit hoc coniuncta virentibus annis,
Me vocet ut puer & trina puella patrem.

Altera priuignis(que gloria rara nouerca est)
Tam pia quam gnatis vix fuit vlla suis.
Altera sic mecum vixit,sic altera viuit,
Charior incertum est hac sit,an hac fuerit:
O simul o iuncti poteramus viuere nos tres
Quam bene, si fatum religioꝝ finans.
At societ tumulus, societ nos obsecro cœlum,
Sic mors, non potuit quod dare vita,dabit.

G V I L I E L M V S
BVDAEV S THOMAE LV-
PSETO ANGLO S.

RATIAM sanè ingen-
tē à nobis iniisti Lupsete
adolescentū doctissime,
q me porrecta mihi Vto-
pia Thomæ Mori, ad iu-
cundissimā simul & vsui
futura lectionis intentionem auertisti. Nam
cum à me dudū precibus id contendisse, id
quod meapte ipse sponte magnopere exop-
tatur erā, vt Thomæ Linacri medici vtraq;
lingua præstantissimi libros sex de sanitate
tuenda legerem, quos ille ex Galeni monu-
mentis latinitate nuper ita donauit, vel quibus
ipse potius latinitatem, vt si omnia eius
autoris opera (quæ ego instar omnis medi-
cinæ esse puto) latina tandem fiant, nō mag-
nopere tum medicorum schola Græcæ lin-
guæ cognitionē defyderatura videatur, eum
librū ex schedis Linacri tumultuaria lectione
ita percurri (quarum mihi usum tantisper
à te indulsum summi loco beneficij du-
co) vt ea lectione multū me profecisse ex-
istimem, sed ex libri editione, quæ nunc à te
sedulo procuratur in officinis huius vrbis,
ego maiorem etiam profectum mihi spon-
deā. Hoc nomine cum me tibi obstrictum
esse satis crederem, ecce tu mihi velut prioris
beneficij vel appendicem vel auctarīum
Vtopiam illam Mori donasti, hominis in pri-
mis acris, ingenioq; amōno, & in rerū hu-
manarum estimatione veteratoris. Eū librū
cum ruri in manibus cursitando, satagendo,
operis imperitando haberem (partim enim
nō nosti, partim audisti, villaticis me negocis
alterum iam hunc annum multum operæ
impendisse) usque adeo eius lectione affe-
ctus sum, cognitis et perpenſis Vtopinorum
moribus & institutis, vt penè rei familiaris
procurationem intermiserim, atque etiam
abiecerim, cum nugas esse viderem artem
omnem industriaꝝ & economicam, om-
nino curam census ampliatricem, qua ta-

men ipsa omne genus mortalium velut
cestro quodam intestino & congenito exa-
gitari, nemo est qui non videat & intelligat,
vt legitimarū, prop̄e dixerim & ciuilium
artium ac disciplinarū eum esse scopum
fateri necesse sit, vt tam liuida quā accura-
ta solertia alter ab altero, qui cum ciuitatis
ius ei & interdū gentilitatis intercedit, quip-
piam semper abducatur, abstrahatur, abra-
datur, abiret, exprimat, extundat, excusat, extor-
queat, excutiat, excudat, subducatur, suffure-
tur, suppilet, inuolat, legibusque partim con-
niuentibus, partim autoribus auferat & in-
teruertat. Id adeo magis in ijs gentibus
apud quas iura, quæ ciuilia & pontificia vo-
cantur, amplius in vtroque foro valent.
Quorum moribus & institutis eam inua-
luisse opinionem nemo non videt, vt homi-
nes cautionum prudentes vel captionum
potius, & incōsultorum ciuium aucupes, &
formularum, id est excipularum opifices, ac
pactilis iuris callentissimi, & litium concin-
natores iurisque contrauersi, peruersi, inuer-
si, consulti, antistites esse iustitię & equitatisq;
existimentur, solique digni qui de quo bo-
noque respondent, atq; etiam (quod maius
est multo) qui cum imperio ac potestate sta-
tuant, quid vnum quemque habere, quid
non habere, quatenus quamdiuq; liceat, hal-
lucinantis id vtiq; sensus cōmunis iudicio.
quippe cum pleriq; hominum crassis igno-
rantię lemis cęcutientes, tam equissimam fe-
rē causam vnum quemq; putemus habere
quā maxime ius postulat, aut iure subnixus
est. Cum si ad veritatis normam, & ad sim-
plicitatis Euangelicę pr̄scriptum exigere
iura velimus, nemo sit tam stupidus quin in-
telligat, nemo tam vecors quin fateatur si
vrgeras, tam ius & fas hodie ac iamdiu in san-
ctionibus pontificis, & ius atque æquum
in legibus ciuilibus & principiū placitis dis-
fidere, quā Christi rerum humanarum
condito-

conditoris instituta, eiusque discipulorum
ritus, ab eorum decretis & placitis qui Crœ
si & Midæ aceruos bonorum finem esse
putant, & felicitatis cumulum, adeo si iu
stitiam finire nunc velis quomodo priscis
authoribus placuit, quæ ius suum vnicui
que tribuat, vel nullibi eam in publico in
uenias, vel (si dicere id mihi permittam)
culinarium quandam dispensatricem esse
vt fateamur necesse sit. siue nunc imperi
tantium mores species, siue ciuium inter
se & popularium affectus. Nisi vero à Ger
mania mundique æquali iustitia (quod ius
naturale vocant) manasse ius id contendere
int, vt quo quisque plus polleat, eo etiam
plus habeat: quo autem plus habeat, eo plus
eminere inter ciues debeat, quo sit vt iam iu
re gentium receptum esse videamus, vt qui
nec arte nec industria memorabili iuuare ci
ues suos & populares possunt, si modo pa
etiles illos nexus & contractiles nodos te
neant, queis hominum patrimonia obstrin
guntur, quosque vulgus ignarum, homi
nesque literis humanioribus dediti ac pro
cul foro, animi causa aut veritatis indagan
dæ ergo agentes, partim Gordij vincula es
se ducunt, partim circulatoria, nec magnopere
miranda, ij millenorum ciuium cen
sum, & sepe singularum ciuitatum, aut
etiam ampliorem habeant, ijdemque tum
locupletes, tum frugi homines, tum mag
nifici conquisitores honorifice vocitentur.
Quippe ijs seculis, ijs institutis, ijs moribus,
in ijs gentibus quæ id ius esse statuerunt, vt
tam summa fide atque autoritate quisque
sit, quam maximis opibus penates suos ar
chitectatus, est ipse hæredesque eius, idque
eo magis atque magis, quo eorum adne
potes, horumque rursus abnepotes patri
monia à maioribus parra, luculentis certa
tim accessionibus cumulauerint, id est, quo
longius latiusque confines, affines, cognati
, consanguineosque summouerint.

At vero C H R I S T V S possessionum cō
ditor & moderator, Pythagoricam com
munionem & charitatem inter assecras suos
relictam, luculento sanxit exemplo, dam
nato capit is Anania ob temeratam commu
nionis legem. Quo certe instituto Christus
omnia iuris, istius ciuilis pontificijque adeo
recentioris argumentosa volumina, inter
suos quidem abrogasse mihi videtur, quod
ipsum ius hodie arcem tenere prudentia
videmus, ac fata nostra regere. VT O
PIA vero insula, quam etiam V D E P O
TIA M appellari audio, mirifica vtiq; for

te (si credimus) Christianos vero ritus ac
germanam ipsam sapientiam publice pri
uatumque hauisse perhibetur, intemerataq;
ad hunc vsq; diem seruasse, vt pote quæ tria
diuina instituta, hoc est, bonorum malo
rumque inter ciues æqualitatem, seu ma
lis, ciuitatem numeris omnibus suis abso
lutam, & pacis ac tranquillitatis amorem
constantem ac pertinacem & auri argen
tique contemptum consertis (vt aiunt) ma
nibus retinet, tria (vt ita loquar) euerticula
omnium fraudum, imposturarum, circum
scriptionum, versitarum, & planicarum
improbatum. Superi suo nomine facerent,
vt hæc tria Vtopianæ legis capita trahalibus
clavis firmæ ac statæ persuasionis in sensibus
omnium mortalium figerentur, protinus
superbiam, cupiditatem, contentionem vœ
fanam, atque alia penè omnia vulnifica
Stygiæ aduersarij tela concidere, languereq;
videres, iurisque illam voluminum vim im
mensam, tot eximia solidaque ingenia ad li
bitinam vsque detinentia, vt cassa & vacan
tia redinibus permitti, aut inuolucris of
ficinarum dicari. Proh diu immortales
quænam Vtopianorum sanctitas eam diu
nitus beatitudinem emereri potuit, vt au
aritia & cupiditas in eam vnam insulam ir
rumpere, aut irreperere tot seculis non po
tuerint, nec inde iustitiam cum pudore pro
teruitate sua impudentiaque explodere &
exigere. Deus nunc optimus maximus tam
benigne cum ijs prouincijs egisset, quæ ab
eius sacratissimo nomine cognomentum
retinent & amplectuntur: certe auaritia tot
mentes alioquin egregias arduasque deprava
ns & pessundans, semel hinc facesceret, &
aureum seculum Saturniumq; rediret. Hic
enimuero periculum esse quispiam autu
mârit, ne forte Aratus & poëta prisci op
inione falsi fuerint, qui iustitiam è terris de
cedentem in signifero circulo collocauer
runt, restitisse enim eam in Vtopia insula ne
cessit, si Hythlodæo credimus, nec dum
in cœlum peruenisse, verum ego Vtopiam
extra mundi cogniti fines sitam esse per
cunctando compperi, insulam nimirum for
tunatam, Elysijs fortasse campis proxima
nam, nam Hythlodæus nondum situm
eius finibus certis tradidit) vt Morus ipse
testatur multas quidem ipsam in vrbes di
stractam, sed vnam in ciuitatem coen
tes aut conspiranteis, nomine Hagnopolin,
suis vtique ritibus bonisque acquiescentem,
innocentia beatam, cœlestem quodam modo
vitam agentem, vt infra cœlū, sic supra mundi

A iiij huius

huius cogniti colluisione. Quæ in tot mortalium studijs ut acribus & incitatibus, sic inanibus & irrisis turbide & astuose in præcipitum rapitur. Eius igitur insula cognitionem T H O M A E M O R O debemus, qui beatæ vitæ exemplar, ac viuendi prescriptum ætate nostra promulgauit, ab Hythlodæo, ut ipse tradidit, inuentum, cui omnia fert accepta, qui ut Vtopianis ciuitatem archiecclesiatus sit, ritusque illis & instituta condiderit, id est beatæ vitæ argumentum nobis inde mutuatus sit, & importarit, M O R O S certe insulam & sancta instituta stilo orationeque; illustravit, ac ciuitatem ipsam Hagnopolitanorum ad normam regulamque; expoliuit, oiaque; ea addidit, unde operi magnifico decor venustasque; accedit, & authoritas, etiam si in ea opera nauanda sibi tantum partes structoris vendicauit, videlicet religio fuit maiores sibi partes in eo opere sumere, ne Hythlodæus iure queri posset gloriam sibi à Moro præcerptam, præfloratamque relinquat, si quando suos ipse labores literis mandare constituisset, εὐλαβουμένου δῆθεις αὐτοῦ, μη ὑπλόδων αὐτὸς ὁ τῷ ὄντε ποτία γενήσω ἐμφιλοχωρῶμ ἐπιφανεῖς ποτε δυσχεράνεται, καὶ βαρύνοι το ταῦτην ἀγνωμοσύνην αὐτοῦ τοῦ γε ἐγκαταλιπόντος αὐτῷ προαπνηθσμένον τὸ κλέος τοῦ ἡγεματοτούτος. ὅντω γὰρ πεπένθω, πρὸς ἀνθρώποις οὐδὲντει καὶ σοφῶ. Moro autem homini per se graui, & autoritate magna subnixo fidem planè ut habeam, efficit Petri Ægidij Antuerpiensis testimonium, quæ virū nūquā coram à me cognitionem (mitto nunc doctrinæ morumque; commendationem) eo nomine amo, quod Erasmi clarissimi viri ac de literis sacris, profanis, omneque genus meritis, amicus est iuratissimus, qui cum etiam ipso iamdiu societatem amicorum contraxi literis vltro citroque ob-signatis. Vale Lupsete mi dilectissime, & Linacrum Britannici nominis columen (quod quidem ad literas bonas attinet) nō magis iam vestrum (ut spero) quā nostrum, verbis meis saluta vel coram vel epistola internuncia, idque; primo quoque tempore, is enim unus est paucorum, quibus me perlubens approbarim si possim, cum & ipse coram hic agens mihi se summe, Ioannique Ruellio amico meo, studiorumque consilio probauerit, & eius excellentem doctrinam, exactamque diligentiam in primis suspiciam, & mularique contendam. Velim etiam ut M O R O salutem unam & alteram mandato meo, vel mittas ut dixi, vel dicas, quæ

virum in Mineruæ sacratius album iamdiu opinione mea, sermoneque; meo relatum, de Vtopia noui orbis insula summe & amo, & veneror. Eius enim historiam ætas nostra, posteræque ætates habebunt velut elegantium utiliumque institutorum seminarium, unde translatios mores in suam quisque; ciuitatem importent & accommodent. Vale, Parisijs pridie Cal. August.

IOANNES PALVDANVS
CASSILETENSIS M. PE.
TRO AEgidio. S. D.

VTopiam Mori tui simulque; epigramata legi, nec satis scio maiore ne cum voluptate an admiratione felicem Britanniam que nunc eiusmodi floreat ingeniosis, ut cum ipsa possint antiquitate certare. Nos stupidos ac plusquam plumbeos: si ne tam vicinus quidem exemplis ad eam laudem capescendam expergesieri possumus, αἰσχροὶ σιωπᾶμ, inquit Aristoteles loquente Isocrate. At nobis turpe sit lucris tantum ac voluptatibus vacare, cum apud ultimos orbis Britanos, fauore benignitate principum sic vigeat eruditio. Quanquam hæc laus Graecorum & Italorum pene fuit propria, tamē habet & Hispania veterum aliquot splendida nomina quibus se iactat. habet Anacharsides suos effera Scythia, habet suum Dania Saxonem habet suum Gallia Budæum. Tot habet Germania literis celebres viros, tam multos eosque; insignes habet Anglia. Nam quid de ceteris coniectandum est, si tantum præstat Morus primum iuuenis, deinde publicis ac domesticis negotijs adeo distractus, postremo quiduis profitens citius quam literas. Et soli nobis sat beati videmur, si probe prospectum sit cuticulæ & arcæ. Quin ipsi quoque excusso veterno ad hoc pulcherrimum certamen accingimur, in quo nec vinci turpe sit & vincere pulcherrimum, prouocat hic tot vndiq; exæpla, prouocat hic optimus princeps Carolus, penes quæ nulli rei amplius est premium: quam eruditæ virtuti, prouocat hic vnicus ille rerum boharum omnium Mæcenæ Ioannes Sylvius Borgondiæ Cancellarius. Maiorem in modum te rogo doctissime Petre Ægidi, ut cum primum licebit Vtopiam euulgandam cures, quod quicquid ad républica bene instituendam pertinet, in hac velut in speculo liceat cernere. Vtinam fiat ut quemadmodum illi nostram religionem accipere cœperunt;

perunt: ita nos ab illis administrandæ reipublicæ rationem mutuemur. Id fortasse facile fieret: si Theologorum aliquot insignes & inuicti in eam insulam se conferant. Christi fidem iam suppulitatem prouecturi, simulq; eius gentis mores & instituta ad nos deportaturi. Multum debet Utopia Hythlodæo, per quem innotuit indigna quæ nesciretur, plus eruditissimo Moro, cuius penicillo nobis tam scite depicta est. Porro quod utriq; debetur gratia, eius non minima pars tibi secunda est, qui & illius sermonem, & huius scriptum in lucem emiseris, non mediocri delectamento futurum omnibus maiori fructui, si modo diligenter expéderint singula. Meum animum sic excitauit Utopia, ut iam olim à musis desuetus, denuo musas lacesuerim, quām feliciter, tu iudicabis. Bene vale Petre Ægidi cādidiſime, bonorum studiorum & fautor & myſta.

Louanij ex edibus nostris. Calend. Decemb.

EIVSDEM IOANNIS PALV
DANI RHETORIS LOVANIEN.
in nouam insulam Utopiam
Carmen.

Forteis Roma dedit, dedit & laudata disertos
Gracia, frugales inclita Sparta dedit.
Mafilia integrōs dedit, at Germania duros.
Comes ac lepidos Attica terra dedit.
Gallia clara pios, quondam dedit Africa cautos,
Munificos olim terra Britanna dedit.
Virtutum ex alijs aliarum exempla petuntur
Gentibus, & quod hūic defit, hūic superat.
Vna semel tot am summam totius honesti,
Insula terrigena Utopiana dedit.

GERARDVS NOVIOMA-
GVS DE UTOPIA.

Dulcia lector amas? sunt hic dulcissima queq;
Vtile si queris, nil legis vtilius.
Sine utrunque voles, utroque hac insula abundat,
Quo lingua exornes, quo doceas animum.
Hic fontes aperit, recti prauiq; disertus
Morus, Londini gloria prima sui.

CORNELIUS GRAPHEVS
AD LECTOREM.

VIS nona mōstra, nouo dudu nūc orbe reperto?
Viendi varia vis ratione modos?
Vis qui virtutum fontes? vis vnde malorum
Principia? & quantum rebus inane latet?
Hec lege, que vario Morus dedit ille colore,
Morus Londina nobilitatis bonos.

CLARISSIMO D. HIE-
RONYMO BUSLIDIO PRÆ-
POSITO ARIENSI, CATHO.
lici Regis, Caroli à consilijs, Petrus
Ægidius Antuerpiensis
S. D. P.

Vperioribus hisce diebus or-
natissime Buslidi misit ad me
Thomā ille Morus, te quoq;
testē, cui notissimus es, eximū
huius ætatis nostræ decus, Utopiam insu-
lam, paucis adhuc mortalibus cognitam, sed
dignam imprimis quam vt plurquam pla-
tonicam omneis velint cognoscere, præser-
tim ab homine facundissimo sic expressam,
sic depictam, sic oculis subiectam, vt quoties
lego, aliquanto plus mihi videre videar, quā
cum ipsum Raphaëlem Hythlodœum (nam
ei sermoni æquè interfui ac Morus ipse) sua
verba sonantem audirem. Etiam si vir ille
hanc vulgari prædictis eloquentia sic rem
exponeret, vt facile appareret eum non ea
referre, quæ narrantibus alijs didicisset, sed
quæ cominus hausisset oculis, & in quibus
non exiguum tempus esset versatus, homo
mea quidem sententia, regionum, homi-
num, & rerum experientia vel ipso Vlysses
superior, & qualē contingens hisce annis
nusquam arbitrer natum, ad quem collatus
Vespucius nihil vidisse putetur. Iam præ-
terquam quod visa quām audita narramus
efficacius, aderat homini peculiaris quedam
ad explicandas res dexteritas. Attamen ea-
dem hec quoties Mori penicillo depicta cō-
templor, sic afficio, vt mihi videar nō nunq;
in ipsa versari Utopia. Et hercule credide-
rim Raphaëlem ipsum minus in ea insula
vidisse per omne quinquennium quod illic
egit, quam in MORI descriptione videri li-
ceat. Tantum hic occurrit vndique miracu-
lorum, vt ambigam quid primum aut po-
tissimum admirer, felicissimæ memorie si-
dem, quæ tot res auditæ duntaxat penè ad
verbum reddere potuerit. an prudentia, qua
vulgo ignorissimos fontes, vnde omnia rei-
publica vel oriuntur mala, vel oriri possent
bona, sic animaduerterit. an orationis vim
ac facultatem, qua tanta sermonis latini pu-
ritate, tantis dicendi nervis, tot res comple-
xus est, præsertim vñus in tot publica simul
& domestica negotia distractus. Verum hec
omnia tu minus admiraris doctissime Busli-
di, qui familiari etiam confuetudine penitus
habes cognitionem, homine maius ac propè di-
uinum hominis ingenium. In cæteris igitur
A iiiij nihil

nihil est, quod illius scriptis queam adiucere.
Tantum tetraстichum vernacula Vtopiensium lingua scriptum, quod à M O R I discessu, forte mihi ostédit Hythlodæus apponendum curaui, præfixo eiusdem gentis alphabeto, tum adiectis ad margines aliquot annotationiculis. Nam quod de insulæ situ laborat M O R V S, ne id quidem omnino tacuit Raphaël, quanquam paucis admodum, ac velut obiter attigit, velut hoc alij seruas loco. Atque id sancè nescio quo modo casus quidam malus vtrique nostrum inuidit. si quidem cum ea loqueretur Raphaël, adierat M O R V M è famulis quispiam, qui illi nescio quid diceret in aurem, ac mihi quidem tato attentius auscultanti, comitum quispiam, clarius, ob frigus opinor nauigatione collectum, tussiens, dicentis voces aliquot intercepit. Verum non conquiescam donec hanc quicq; partem ad plenum cognouero, adeo ut non solum situm insulae, sed ipsam etiam poli sublationem sim tibi ad vnguem redditur, si modo incolumis est noster Hythlodæus. Nam varius de hominè rumor adfertur, alij affirmat perisse in itinere, rursum alij reuersum in patriam, sed partim suorum mores non ferentem, partim Vtopiæ desiderio sollicitatum, eò remigrasse. Nam quod huius insulæ nomen nusquam apud Cosmographos reperiatur, pulchre dissolutus Hythlodæus ipse. Siquidem fieri potuit, inquit, vt nomen quo veteres sint vsi, postea sit commutatum. aut etiam illos hęc fugerit insula, quando & hodie complures oriuntur terre, priscis illis Geographis intactæ. Quanquam quorsum attrinet hic argumentis astruere fidem, cum M O R V S ille sit autor? Ceterum quod is ambigit de editione, euidem laudo & agnosco viri modestiam. At mihi visum est opus modis omnibus indignū quod diu premeretur, & cum primis dignum, quod exeat in manus hominum, idque tuo potissimum nomine commendatum orbi. vel quod M O R I dotes tibi præcipue sint perspectæ, vel quod nemo magis idoneus, qui rectis consilijs iuuet rempublicam, in qua iam amnis compluribus summa cum laude verfaris, tum prudentia, tum integratiss.

Bene vale studiorū Meccenas & huius seculi decus. Antuerpiæ Anno

M. D. XVI. Calend.

Novembr.

HIERONY-

M V S B V S L I D I V S
THOMÆ MORO

S. D.

NO N sat fuit ornatisime MORE, olim omnem curam, operam, studiū intulisse in rem & com modum singulorum, nisi vel ea (qua tua pietas & liberalitas est) cōferres in vniuersum, ratus hoc (tuum qualecūque foret) beneficium, eo maiorem hinc mereri fauorem, venari gratiam, aucupari gloriam, quāto illud & latius propagatum, & in plures distributum, pluribus esset profuturum. Quod & si alijs semper præstare cōtenderis, tamen id maxime es nuper mira felicitate adsecutus, scilicet pomeridia no illo sermone abs te in literas relato. Quē de recte & bene constituta (ab omnibus expetenda) Vtopiensium Repub. addidisti. In cuius pulcherrimi instituti fœlici descriptio ne nihil est, in quo vel summa eruditio, vel absolute rerum humanarum peritia desiderari possit. Quando ea quidem ambo in illo tanta paritate & æquabili congressu concurrunt, vt neutro alteri herbam porridente, vtrunque & quo Marte de gloria contendat. Tam siquidem multisaria polles doctrina, rursum tam multa, eaq; certa rerum peritia, vt prorsus expertus affirmes quicquid scriperis, doctissime scribas, quicquid affirmandum destinaueris. Mira profecto, raraq; felicitas, ac planè eo rarior, quo magis ipsa se inuidens plurimis, non præbet nisi rarissimè ijs, qui sicut candore velint, ita eruditione sciant, sive queant, autoritate possint tam pie, recte, prouide in commune consulere, sicut tu iam facis probe, qui quod non solum tibi, verum etiam toti te gentium orbis existimas, operæ precium duxeris hoc tuo pulcherrimo merito, vel totum ipsum orbem demereris, quod præstare alia ratione, neque rectius, neq; melius potuisses, quam ipsis mortalibus ratione pollutibus, eam Reipub. ideam, eam morum formulam, absolutissimumque simulachrum præscribere, quo nullo vñquani in orbe visum sit vel salubrius institutum, vel magis absolutū, vel quod magis expetendum videatur, vtpote multo quidem præstante atque longo post se interuallo relinquēte, tot celebratissimas, tantopere decantatas Lacedæmoniorum, Atheniensium, Romanorum res publicas. Quę si ijsdē essent auspicijs auspicate, ijsdem (quibus

(quibus hæc tua Res.) institutis, legibus, decretis, moribus moderatae, profecto hæ non dum labefactata & solo æquatæ, iam proh dolor citra spem omnem instaurationis extinctæ iacerent. Sed cōtra, incolumes adhuc beatæ, felices, fortunatissime agerent. Intērim rerum dominæ, siuum late imperiū terra marique sortitæ. Quarum quidem rerum publicarum, tu miserandam miseratus fortem, ne aliq. itidem (quæ hodie rerum potiæ sumnum tenent) parem sustinerent vicem, prospicere voluisti, scilicet hac tua absolutissima republica, quæ non tam in condēdis legibus, quām vel pro beatissimis magistratibus formandis maximè elaborauit. Nec id quidem ab re, quando alioqui sine illis omnes (vel optimæ) leges, si Platonii credimus, mortuæ censerentur. præsertim ad quorum magistratum simulachrum, probitatis specimen, exemplar morum, iustitiae imaginem, totus status, & rectus tenor cuiusvis absolute Reip. sit effingendus. In quo in primis concurrant, prudentia in optimatibus, fortitudo in militibus, temperantia in singulis, iustitia in omnibus. Quibus quum tua (quam tantopere celebras) respublika sit tam pulcherrime, vt liquet, composita, non mirum si hinc veniat, non solum multis timenda, sed & cunctis gentibus veneranda, simul omnibus seculis prædicanda. Idq; eo magis, quod in ea omnis proprietatis contentione sublata, nulli sit quipiam proprij. Cæterum in rem ipsam communem, cōmunia sunt omnibus omnia, Adeo vt omnis res quævis actio, seu publica, seu priuata, non ad multorum cupiditatē, non ad paucorū libidinem spectet, sed ad vnam iustitiā, & quabilitatem, cōunionem sustinendam (quantulacunque sit) tota referatur. Quo illa integre relata, omnis materies, fax & fomes, ambitus, luxus, inuidentia, iniuria, faceſſat, necesse est. In quæ nonnunquam aut priuata rerum possesso, aut ardens habendi sitis, omniumque miserrima rerū ambitio, mortales (vel reluctantantes) protrudit, maximo suo, idque incōparabili malo. Quando hinc s̄pē numero dissensiones animorū, motus armorum, & bella plusquam ciuilia dērente orientur. Quibus non solū florentissimus status beatissimaru Rerump. funditus pessundatur, verum illarū olim parta gloria, acti triūphi, clara trophæa, totiesque opima spolia, deuictis hostibus relata, penitus obliterantur. Quod si in his hæc nostra pagina minorem forte, ac velim, fidem fecerit, certe in promptu aderunt testes, ad quos te rele-

gem, locupletissimi, videlicet tot & tantæ olim vastatæ vrbes, dirutæ ciuitates, prostratae Resp. incensi & consumpti vici, quorum vti hodie vix vllæ tātæ calamitatis reliquæ, aut vestigia visuntur, ita nec nomina illorū villa, quantūvis vetus & longe deducta historia, sat probe tenet. Quas quidem insigneis clades, vastationes, euerſiones, cæterisque belli calamitates, nostræ (si quæ fint) Resp. facile euaserint, modo ad vnam Vtopiensium reipublicæ normam fese adamassim cōponentes, ab ea ne transuersum quidem, vt aiunt, vnguem rocedant. Quod sic demum præstantes, tandem re ipsa cumulatissime agnoscent, quantum hoc tuū in se collatum beneficium profuerit, maxime quo accedente didicerint, suam Rempub. saluam incolumem, triumphantē seruare. Proinde tantum tibi suo præsentissimo seruatori debituræ, quantum is haud iniuria prometur, qui non tantum aliquem è republica ciuem, sed vel ipsam totam Remp. seruarit. Interea vale, ac feliciter perge nō nihil vñq; meditari, agere, elaborare, quod in Répub. collatum, illi perpetuitatem, tibi immortallitatem addat. Vale doctissime, & idem humanissime More, tuæ Britanniæ, ac nostri huius orbis decus.

Ex eadibus nostris Mecliniæ, Anno M. D. XVI.

THOMAS MORVS
PETRO ÆGIDIO
S. D.

PVD E T me propemodū charissime Petre Ægidi, libellum hunc de Vtropiana republica, post annum fermè ad te mittere, quem te non dubito intraſequimensem expectasse. quippe quum scires mihi demptum in hoc opere inueniendi labore, neque de dispositione quicquam fuisse cogitandum, cui tantum erant ea recitanda, quæ tecum vna pariter audiuī narrantem Raphaëlem. quare nec erat quod in eloquendo laboraretur, quando nec illius sermo potuit exquisitus esse, quin esset primum subitarius, atque extemporalis, deinde hominis, vt scis, non perinde Latine docti quām Græce, & mea oratio quanto accederet propius ad illius neglectam simplicitatem, tanto futura sit propior veritati, cui hac in re soli curam & debeo & habeo. Fateor mi Petre, mihi adeo multum laboris his rebus paratis detractum, vt penè nihil fuerit relictū. alioquin huius rei vel excogitatio, vel oco-

vel œconomia potuisset ab ingenio neque infimo , neque prorsus indoœto postulare, tum temporis nonnihil, cum studij. Quod si exigeretur, vt disertè etiam res, non tantum verè, scriberetur, id verò à me præstari, nullo tempore, nullo studio potuisset . Nunc verò quum ablatis curis his, in quibus tatum fuit pudoris exhaustiendum, restiterit tantù hoc, vti sic simpliciter scriberentur audita , nihil erat negotij. Sed huic tamen tam nihilo negotij peragendo, cætera negotia mea minus ferè quam nihil temporis reliquerunt. Dum causas forensēs absiduè alias ago , alias audio, alias arbiter finio, alias iudex dirimo, dū hic officij causa visitur, ille negotij. Dum fōris totum fermè diem alijs impartiō, reliquum meis, relinquo mihi, hoc est literis, nihil. Nempe reuerso domum, cum vxore fabulandum est, garriendum cum liberis, colloquendum cum ministris. Quæ ego omnia inter negotia numero, quando fieri necesse est (necesse est autē, nisi velis esse domi tuæ peregrinus) Et danda omnino opera est, vt quos vitæ tuæ comites, aut natura prouidit, aut fecit casus, aut ipse delegisti, his vt te quā iucundissimum compares, modo vt ne co-mitate corrumpas, aut indulgentia ex ministris dominos reddas . Inter hæc, quæ dixi, elabitur dies, mensis, annus . Quando ergo scribimus ? Nec interim de somno quicquā sum loquutus, vt nec de cibo quidem, qui multis non minus absunit temporis, quam somnus ipse , qui vitæ absunit fermè dimidium. At mihi hoc solum téporis adquiro, quod somno ciboque suffuror, quod quoniam parcum est, lente, quia tamen aliquid, aliquando perfeci, atque ad te mi Petre trámissi Vtopiam, vt legeres, & si quid effugisset nos , vti tu admoneres . Quanquam enim non hac parte penitus diffido mihi (qui vti-nam sic ingenio atq; doctrina aliquid essem, vt memoria non vsqueaque destituor) non vsque adeo tamen confido, vt credā nihil mihi potuisse excidere. Nam & Ioannes Clemens puer meus, qui adfuit, vt scis, vna, vt quem à nullo patior sermone abesse , in quo aliquid esse fructus potest, quoniam ab hac herba , qua & Latinis literis & Cræcis cœpit euirescere, egregiam aliquādo frugem spero, in magnam me cōiecit dubitationem. Siquidem quum , quantum ego recordor, Hythlodæus narrauerit Amauroticum illum pontem, quo fluuius Anydrus in sternitur, quingentos habere passus in longum, Ioannes meus ait detrahendos esse ducētos, latitudinem fluminis haud supra trecentos

ibi continere. Ego te rogo , rem vt reuoces in memoriam . Nam si tu cum illo sentis, ego quoque adsentiar, & me lapsum credam. si in ipse non recolis, scribam. vt feci , quod ipse recordari videor mihi. nam vt maxime cu-rabo , ne quid sit in libro falsi, ita si quid sit in ambiguo, potius mendacium dicā, quam mentiar, quod malim bonus esse quam pru-dens. Quanquam facile fuerit huic mederi morbo, si ex Raphaële ipso, aut præsens scis-ticeris, aut per literas, quod necesse est facias vel ob alium scrupulum , qui nobis incidit, nescio mea ne culpa magis, an tua , an Raphaële ipsius . Nam neque nobis in mētem venit quærere, neque illi dicere, qua in parte noui illius orbis Vtopia sita sit . Quod non fuisse prætermissum sic, vellem profecto me diocri pecunia mea redemptum , vel quod subpudet me nescire, quo in mari sit insula, de qua tam multa recensem. vel quod sunt apud nos vñus & alter, sed vñus maxime, vir pius & professione Theologus, qui mi-ro flagrat desiderio adeundæ Vtopiæ, non inani & curiosa libidine collustrandi noua, sed vti religionem nostrâ, feliciter ibi ceptam, foueat atq; adaugeat . Quod quo faciat rite, decreuit ante curare, vt mittatur à Pontifice , atque adeo vt creetur Vtopiensibus Episcopus, nihil eo scrupulo retardat, quod hoc antistitū sit illi precibus impetrandum.

Quippe sanctum dicit ambitum, quem non honoris aut quæstus ratio, sed pietatis respectus pepererit. Quamobré te oro mi Petre, vti aut præsens, si potes commode, aut ab-sens per epistolam, cōpelles Hythlodæum, atque efficias, ne quicquam huic operi meo aut insit falsi, aut veri desideretur. Atq; haud scio an præster ipsum ei librum ostēdi. Nam neque alias èquè sufficit, si quid est erratum, corrigere, neque is ipse aliter hoc præstare potest, quā si quæ sunt à me scripta, perlege-rit. Ad hæc: sicut vt hoc pacto intelligas, acci-piat ne libenter, an grauatum ferat, hoc ope-ris à me cōscribi . Nempe si suos labores de-creuit ipse mandare literis, nolit fortasse me: neque ego certè velim, Vtopiæsum per me vulgata republica, florem illi gratiamq; no-uitatis historiæ sua præripere . Quanquam, vt verè dicam, nec ipse mecum satis adhuc constitui, an sim omnino editurus. Etenim tam varia sunt palata mortalium , tam mo-rosa quorūdam ingenia, tam ingratiani, tam absurdia iudicia , vt cum his haud paulo felicius agi videatur, qui iucundi atq; hilares, genio indulget suo, quam qui semet ma-cerant curis, vt ædant aliquid, quod alijs aut fastidiem-

Nota
Theolo-gicā dif-ferentia
inter me-tiri & m-daciū de-cere.

Sanc-tus
ambius.

Ingrata
hominū
iudicia.

fastidientibus, aut ingratis, vel utilitati possit esse, vel voluptati. Plurimi literas nesciunt, multi cōtemnunt. Barbarus vt durum rejicit, quicquid non est planè barbarum. Sciolis aspernantur vt triuiale, quicquid obsoletis verbis non scaret. Quibusdam solum placet vetera, plerisque tantum sua. Hic tam terribilis est, vt non admittat iocos. hic tam insultus, vt non ferat sales: tam simi quidam sunt, vt nasum omnem, velut aquam ab rabido morsus cane, reformident. adeo mobiles alij sunt, vt aliud sedentes probet, aliud stantes. Hi sedet in tabernis, & inter pocula de scriptorum iudicant ingenij, magna que cum autoritate condemnant vtcunque lubitum est, suis quæque scriptis, veluti capillicio vellicantes, ipsi interim tuti, & quod dici solet, εξω βέλονε. quippe tam leues & abrasi undique, vt ne pilum quidem habeant boni viri, quo possint apprehendi. Sunt præterea

quidam tam ingrat, vt quum impense delectentur opere, nihil tamen magis ament authorem: non absimiles inhumanis hospitibus, qui quum opiparo conuiuio prolixè sunt excepti, saturi demū discedunt domum, nullis habitis gratijs ei, à quo sunt inuitati. In nunc, et hominibus tam delicati palati, tam varij gustus: animi præterea tam memoris & grati, tuis impensis epulum instrue. Sed tamen mi Petre, tu illud age, quod dixi, cum Hythlodæo, postea tamen integrum erit hac de re consultare denuo. Quanquam si id ipsum voluntate fiat. quandoquidem scribedi labore defunctus, nunc fero sapio. quod reliquum est de ædendo, seuar amicorum consilium, atque in primis tuum. Vale dulcissime Petre Aegidi cum optima coniuge, ac me vt soles ama, quando ego te amo etiam plus quam soleo.

THOMAS MORVS PAVLO ANTE

SVAM CONDEMNATIONEM, QVAM ARCTIS-
SIME CARCERIBVS INCLVSVS, OMNIQUE
SUBLATO INSTRUMENTO SCRIBENDI, CARBONIA
hanc in sequentem epistolam exarauit, atq; ad intimum suum amicū Antonium Boni sum hominem statu, mercatorem Lucensem, iā tum
quidem Londini agentem, nunc Louanię sepultum,
mittendam curauit. Anno Domini,

M. D. XXXV.

A Micorum amicissime, & merito mihi charissime, salve. Quoniam mihi præfagitus animus (fortasse falso, sed præfagitus tamen) haud diu mihi superfuturā ad te scribēdi facultatē, decreui dū licet, hoc saltē epistolio significare, quantū in hoc fortuna meę deliquio, amicitię tuę iucunditate reficiar. Nā ante quidē (vir ornatissime) tāetsi mirifice certe semper amore isto in me tuo delectatus sum, tamē recordati mihi annos iam prope quadraginta perpetuum Boni sum domus nō hospitē, sed alumnū fuisse me, nec amicū interim vlla repēdēda gratia, sed sterilē tantū amatorē prēstitisse, verecūdia mea profecto fecerat, vt syncera illa suauitas, quā alioqui ex amicitia vestra cogitatione diligiebā, paululū quiddā pudore quodā rustico, tanquā neglecta vicissitudinis subcesseret. Verum enī muerō nūc hac ego me cogitatione cōsolor, quod bene vicissim mihi merēdi de te nunquā se præbeat occasio. Ea siquidem amplitudo fortunę tuę fuit, vt cōmodādi tibi nullus mihi relinqueretur locus. Cōscius igitur mihi nō officij neglectu

vicē nō repēdissē me, sed quia deficiebat occasio, quū iā te cōspiciā, etiā sublata repēdēdī spe, sic in me amando & demerēdo persistere, imo adeo progredi potius, & cursu quodā indefesso procurrere, vt pauci sic amicos fortunatos ambiant, quomodo tu prostratum, abiectū, affictū, & addictū carceri. Morū tuū diligis, amas, foues, & observas, quum pristini pudoris mei quali quali me amaritie abluo, tñ in huius admirabilis amicitia tuę suauitate cōquiesco. Et nescio quo pacto tā fidelis amicitia prosperitas, videtur mihi cū hoc improspero & classis meę naufragio, propemodū paria facere: certe tollatur indignatio, nō amati mihi minus quā metuēdī Principis, quod ad reliqua pertinet, propemodū plusquā paria, quippe quū illa sint inter fortunę mala numeranda omnia. At amicitia tā cōstantis possessionē, quā tā aduersus fortunę casus non eripuit, sed ferrinauit fortius, amens profecto fuerim, inter caduca fortunę bona si numerem. Sublimius haud dubie bonum est atq; angustius peculiari quodā Dei benignitate proueniēs, amicitia tā fidelis & reflante fortuna con-

Panis,

stantis,raro concessa felicitas.Ego certe nō aliter accipio atq; interpretor, quā eximia Dei miseratione curatū,vt inter tenues amiculos meos,tu vir talis,amicus tantus,jā lōgo ante tēpore parareris,qui magnam istius molestię partem, quam mihi ruentis in me fortunę moles inuexit,tua consolatione lenires ac releuares. Ego igitur mi Antoni, mortalium mihi omnium charissime(quod solū possum)Deum optim. maxim . qui te mihi prouidit, obnixe deprecor,vt quando tibi talem debitorem dedit , qui nunquam soluendo sit futurus , beneficentiam istam quam mihi quotidie tam effusus impendis, ipse tibi dignetur pro sua benignitate re-pendere, tum vt nos ab hoc erumno & procelloso seculo in suā requiē,prō sua misē

ratione perducat,ybi nō erit opus epistolis, ybi nō distinebit nos paries,ybi nō arcebit à colloquio ianitor, sed cum Deo patre inge-nito,& vnigenito eius filio domino redem-ptore nostro Iesu Christo , atque vtriusque spiritu ab vtroque procedente paraclete, gaudio perfruemur aeterno. Cuius interea gaudij desiderio faxit omnipotens Deus, vt tibi mi Antoni, mihiq; , atque vtinam mortalibus vndicunque omnibus , om-nes huius orbis opes , vniuersā mundi gloria,necnon istius quoque dulcedo vitæ vilescat. Amicorum omnium fidissime, mihiq; dilectissime,& (quod prædicare iam olim soleo)oculi mei pupilla vale. Familiam tuam totam,herili in me affectui similiam,Christus seruet incolumem.

Thomas Morus:frustra si adjiciam tuus.Nam hoc iam nescire non potes,quum tot beneficijs emeris:nec talis sum,vt referat cuius sim.

HEXASTICON ANEMOLII POETAE
LAVREATI, HYTHLODÆI EX SO-
RORE NEPOTIS IN VTO-
piam insulam.

VTopia priscis dicta,ob infrequentiam,
Nunc ciuitatis æmula Platonicae,
Fortasse victrice(nam quod illa literis

Delinuit,hoc ego vna prefisi,
Viris & opibus,optimisq; legibus)
Eutopia merito sum vocanda nomine.

CATALOGVS LIBRORVM TOTIVS OPERIS.

Epitaphium Thomae Mori.

tij imperfecta.

Utopie libri duo.

*Responso ad conuictia Martini Lutheri congregata in
Henricū Rege Anglia,eius nominis octauum.*

Epigrana.

Expositio passionis Domini imperfecta.

Ex Luciano conuersa quedam.

Quod pro jide mors fugienda non est.

Declamatio Thomae Mori Lucianica respondens.

Precatio ex Psalmis.

Historia Richardi Regis Anglie eius nominis ter-

*Hæc Thomæ Mori opera,ita correcta,iudico nō sine fructu excusa tradi mortalibus posse,cum
& pietatem & delectationem nō irreligiosam adferat,quod attestor ego*

F. Ioannes Hentenius sacre Theologiae Professor.